



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Admodvm Reverendo Patri Ac Domino Philippo Caverere, S. Vedasti Abbati
Religiosissimo, Henricvs Sommalivs è Societ. Iesv, S. P. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

3

A D M O D V M
REVERENDO PATRI

A C D O M I N O

PHILIPPO CAVERELE,

S. VEDASTI ABBATI

Religiosissimo,

HENRICVS SOMMALIVS

è Societ. IESV, S.P.D.



Am vere quam sapienter quondam divus Bernardus scripsisse videtur. Omnes causamur nobis deesse gratiam: sed justius forsitan ipsa queritur, sibi nonnullos deesse. Ego vero quid simile non importune mihi dicere posse videor: Omnes causamur nobis deesse devotionem: sed justius forsitan devotio ipsa queri posset, sibi eheu deesse plurimos. Quid mirum videri debet, si multi in tentationum ventis impulsis, hodie turpissime ac facillime in varia scelerum genera labantur, cum ipsi devotione sint destituti: quae tamen est virtutis universae fulcrum quoddam, & adversus cunctos hostes clypeus tutissi-

A 2

mus.

4 E P I S T O L A

mus. Tolle ab homine devotionem: quidnam (obsecro) is erit, nisi animal quoddam, ad omne ineundum certamen imbecillum ac inerme? At verò si quis alicujus devotionis munimento fultus fuerit, qua vitiorum monstra non evincet? Exemplo luculentissimo id commonstrare haud difficile erit. Si mihi etenim centum homines devotione ornatos obtuleris, vix ex eis duos, toto biennii discursu, in mortale crimen aliquod lapsos inveniam: Si vero totidem indevotos, equidem de illis tantumdem affirmare non ausim. Sed & multa intercapedine hi à se invicem diffiti esse videntur. Qui etenim devotioni sunt addicti, si ex fragilitate quadam humana, peccatum lethale admiserint, è vestigio emergere, è ceno turpitudinis, omni studio conantur: At vero indevoti à lapsu vix iterum ad meliorem frugem assurgere norunt. Quare nihil accommodatius habere videor, cui virum devotum comparem, SELENITE: qui lapis est & gemma quadam, in Perside sive Arabia nascens, haud quidem ignobilis: cujus, cum crescente Luna, candor accrescit, & cum decrescente, pari quodam

DEDICATORIA. S

dam passu, novo natura miraculo decre-
scit. Eadem etiam ratione vir piis rebus
addictus, pietate & quodam animi can-
dore crescit, crescente devotione. Secus au-
tem in homine indevoto usu venit, in quo
tantundem integritatis vita atque morum
decrescit, quantum devotionis ei decedit.
Neque illud silentio pretereundum esse du-
co, quod quidam de hoc SELENITE
refert, eum arbori alligatum, frugiferam
illam reddere. Hoc ipsum, quotidiana ex-
perientia, viri devotione pradi, verissi-
mum esse, in se comperiunt, dum variis
incumbunt Christiana vita officiis, &
multa bonorum operum segete locupletes
fieri conantur.

Porro ne multis te mover, Praesul admo-
dum Reverende, ab amicis pridem rogatus
fui, ut ex sanctorum Patrum monumentis,
aliquem libellum, (velut enchiridion quod-
dam) ad amorem divinum excitandum, &
ad devotionem comparandam scriberem.
Ego itaque pia ac studiosa eorum voluntati
impigre obsecutus, hunc, quem vides
FASCICULUM, qua potui celerita-
te confeci: quem T. P. R. ob insignem
pietatem atque virtutem, qua in te multo-

rum sermone elucent, nuncupandum existimavi. Spero equidem eos, qui sapius eo utentur, non parvum tum in amore divino, tum vero in devotione, incrementum esse facturos. Quid jam reliquum est, Antistes optime, nisi ut animo submisso te rogem, quatenus ea benevolentia manu, hoc literarium atque devotionis munus, qua ipse tibi offero, accipere non graveris. Deus Optimus Maximus te cum universis Religiosis tuae fidei commissis, multo sui amore, multaque animi devotione, augere dignetur. Vale, iterumque vale Archimandrita religiosissime, in annos plurimos salvus & incolumis.

